



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De probatione, sive modo probandi filiationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ritus V. G. cum hujus juramentum semiplenam tantum faciat probationem, illius autem juramentum cum testimonio mulierum plene probet, nisi tale Mulierum testimonium per alias æque bonæ qualitatis Mulieres fuerit reprobatum. c. *Causam* 14. h. t.

§. VII.

De probatione, sive modo probandi filiationem.

Difficilis probationis est filiatio, & plerumque pro parte patris ex præsumptionibus tantum desumitur; talis autem præsumptio est, primò si quis natus sit ex conjugatis in una domo cohabitantibus (etiam si constet, quòd eodem tempore cum aliò etiam viro adulterij consuetudinem habuerit uxor) pro legitimitate in favorem filij, & Matrimonij præsumente jure, ita ut hæc præsumptio etiam ad illum casum extendatur, quo uxor extra domum quidem Mariti habitavit, hic tamen sæpius ad illam accesserit, vel si nata fuit proles ex concubina, quam quis domi habuit, quo in casu illegitimus quidem filius habebitur, ex hoc tamen Patre genitus præsumetur, præsertim si patrem hujus confessa fuit Concubina, & filium agnoverit Concubinarius, juxta c. *Per tuas* 10. h. t. Hinc secundò præsumitur quis filius esse horum, vel hujus parentis, si ab his vel horum aliquo filius appellatus sit, & ab eis ut filius habitus, tractatus, & educatus sit, tum enim constituitur in quasi possessione filiationis, ut verè filius horum, aut hujus præsumatur, donèc contrarium probetur, ut ait *Glossa in cit. c. Per tuas* 17. *Nominato*; Et quamvis hæc ipsa *Glossa* rectè notet, solam nominationem

filij non facere aliquem filium, quòd filiatio à natura provenit, si tamen nominatione tali ea concurrant, quòd non faciliè nisi filio à Patre exhibentæ paternam illi curam adhibendo, nominando eum in judicio, in instrumento publico &c. filium surum, annotando natiuitatis diem inter alios liberos de factis probant filiationis quasi possessionem, ita ut huic non obstit, etiam si pro modum à Patre v. g. repudietur, rejiciatur, ac negetur esse suus filius, quia jus acquisitum filio ab eo, si factò aufferri non potest, & nimis dignum est, ut ait Pontifex, quòd quisque voce dilucidè contestatus est, eundem casum proprio suo testimonio infirmare, etique resistere. Tertia quoque conjectura est, ex qua possit probari filiatio, communis fama, & quæ præsertim domesticorum, consanguineorum, ac vicinorum, quòd talis sit communiter nominatus, vel habitus, ac tractatus ut filius, cui conjecturæ multum adminiculatur conjectura, quæ desumitur ex effigie & similitudine hominum cum alio, quæ quidem conjectura, si sola sit, nihil probat, & fallax est, si tamen accedat alij præsumptioni in iure tractatæ, non omnino vana est.

§. VIII.

Quomodo probandi sint consuetudines seu limites locorum?

Per libros antiquos, testes, instrumenta &c. alia adminicula probati sine dubio. c. *Cum causam* 13. patet, Quamvis tamen libri & scripturæ antiquæ privatæ plenam fidem semper non faciant, (nulli communitè à Maioribus nostris fides illis haberi